

30

FUNESTVM
CURIANÆ URBIS
INCENDIUM,

meridie Noctis, Diem Viridium, seu XVII. Aprilis,
A. cl. l. c. LXXX. antecedentis, exortum,
nec nisi post depastas CII. domos, Tertiam ferè Urbis
intra Moenia habitatae partem, DEO tandem com-
miserescente, restinctum;

Oculis συμπαιδείων expofitum.

&

Actui Oratorio-Va-
ledictorio,

in Illustri CURIANO, ad 30. Apri-
lis habendo, Intimationis locò, præmissum,

M. JO. CHRISTOPH. LAYRIZ,
Gymnasii Patrii Rector.

Licentia Mangelianis.

LECTORI *supra dicitur*
Salutem & consolationem è Salutis fonte CHRISTO
JESU perpetuam!



Quod olim Romanæ sapientiæ Princeps, *Seneca*, de Amico quodam *Liberali*, ad *Lucilium* suum *L. XIV. Epist. 92.* conqueritur: *Liberalis noster*, inquiens, *nunc tristis est, nunciato incendio, quò Lugdunensis Colonia exusta est.* Movere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriæ suæ amantissimum; id mihi, aliisque ingenuis Urbis nostræ Curia, patriæ meæ dilectissimæ, Favitoribus exactissimè nunc congruere, moesti fatemur omnes. Quis enim duro aded silice formatum firmatumque haberet pectus, quod non in lacrymas & gemitus solveretur & diffunderet, si quando exortò funesto pronuper incendio, tot egregias Urbis nostræ domos igne videat, aut absens audiat, deletas, residuaque ædium busta aut cadavera etiamnum cernat fumantia, tot opes unò vix integro tritorio consideret consumptas, & tot fideles patriæ Cives, quin imò ipsius Principalis nostri Solii propinquum sanguine Heroem, & nobilioris honestiorisve conditionis viros alios, aut omni aut maximâ bonorum suorum parte multatos, ædibus quoque ejectos partim aliorum adspiciat commigrantes, partim jacturam suam false deflentes, partim etiam omnium rerum inopiâ adactos liberales aliorum implorantes & suspicientes manus, sicque tormentum illud sufferentes, quod, ut *Silius Bassus* ad *Senecam* *l. 1. Controv. 6.* fatetur, est: *carere divitiis, cum illas jam senseris.*

Verum enim verò, si *Plinio Cæcilio Secundo* *l. VIII. Epist. 16.* teste, quædam etiam dolendi voluptas sit, præsertim, si in amici sinu defleas, apud quem lacrymis nostris vel laus est parata, vel venia; Si, quod *Socrates Aristarcho* tristi apud *Xenophontem* *l. II. Memorab.* suggererat, molestia cum Amicis communicata aliquâ parte ab illis sublevemur, & mihi, pro ingenuo in patriam amore, gravioris hujus, quod Curia nostra passa est, mali, subsequitque inde luctus indicem & remedium anquire

re

tere, & publica ejus enarratione eruditi orbis cordolium, forte & mentem in miserorum subsidium pronam, eiere, è publicâ re omnino fuit visum; idque eò promptius, quò facilius à me in Curiana Historiâ aliàs occupatò, & si vitam & otium Deus dederit, de tristibus ignium quoque, quæ sustinuit fatis, ex initæ dispositionis lege, olim dicturo, inopinatum infortunium hoc præmitti, quò itidem certius ordinis mei & regularum quoque circulis, nupero ignis propinqui tumultu turbatis, hæc talia, oculis nostris proh dolor! obvia, & recenti memoriæ adhuc obversantia, referri & publicè exponi queunt.

Romanæ Urbis incendium, omnibus, quæ illi acciderunt, gravius atque atrocius scripturus Augustæ historiæ Scriptor nunquã sine laude loquendus Tacitus, Annal. L. xv. c. 38. sequentibus inquit: *Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam utrumque auctores prodidere: Relaturo mihi Curianam ignis stragem, auctor quoque nominandus esset, cujus si non dolus, incuria certè, quã negligentius habuit ignem, publicè nunc accusatur, exactè enim huc, si ulli, Ciceronis illud quadrat: Vituperanda est rei maximè necessaria tanta incuria. L. de Amic. c. XXIII. Sed quæ Neronis fuit vafrities, quã declinandæ incendi infamiæ, abolendoque rumori, ut idem loquitur Historicus d. l. c. 44. reos subdidit Christianos, & culpam admisi in eos transtulit, ea hodiernum plerumque imperat mentibus, hisque persuadet, ut Adami Evæque æmulentur calliditatem, & quæ quæstionem subitura credunt acrius, omni à se amoliantur nisu. Non ego hic litem meam faciam alienam, aut præposterâ prudentiæ adfectione sententiam temere antecapiam, quam Serenissimus PATRIÆ PATER, cum Parastatis & Consiliariis Illustrissimis, pro Salomoneâ Sapientiâ, feret justissimam: Id tamen omnium pervulgatum ore, & Senatui Urbico Amplissimo idoneis probatum, creditur testibus, pessimum quendam Prætoris nostratis Urbici Servulum, aut notissimam illam herbam, sed multis jam Urbibus & pagis exitiosam, proinque à Serenissimo nostro jam olim*



Severissimè per universum Principatum interdictam, quã *Tabacum*, aut ut *Boethornius* habet Epist. 24. *Tabacum*, ab Hispanica voce *Tabaco* vocant, (Latiniùs herbam *Nicotianam*, à *Nicoto*, celebri Ministro & Lexicographo Gallico, qui cùm Regis Galliarum Legatione ad Regem Portugallia A. 1560. defungeretur, plantam hanc primus Gallia intulit,) accensam, in stabulo quidem per fumum attraxisse, non tam ut reportaret ex illò expurgatum defæcatumque caput, quod homini nauci vix sperandum, quàm ut pessimæ satisfaceret consuetudini, & gulã, nescio quã inani perfunderet voluptate, cineres autem fortè in stramen coniecisse; aut alio etiam modo candelam inconsideratiùs tractando & ignem hac ipsa excitando, *Alexandri M.* verbis, apud *Cursium* l. 6. c. 3. prolatis, fidem pro dolor fecisse: *parva sæpe scintilla contemta magnum excitavit incendium.* Eo certe in loco ignem primò fuisse conceptum, utat causa modusque rei fugã, & pertinaci aliorum negatione, adhuc in occulto lateant, complures circumstantiæ, ignis validiùs inde confurgens, & testium nubes palam faciunt. Ne verò nos hòc in negotio hærentes quis arguat: ad primam & summam mali hujus causam, justissimum Mortalium judicem, Deum, minùs respicere; novimus: *non esse infortunium in Urbe, nec fuisse hoc, quod Dominus non faciat, Amos. III, 6.* Justum Dominum & justa judicia ejus cum *Mauritio Imp.* pronunciamus, & hinc de peccatis ingemiscientes nostris, ardentissimis Deum invocamus precibus, ut ipse seriam poenitentiam in nobis operetur, fervoremque iræ suæ, qui in Christo Salvatore nostro defævit, à nobis avertat, & gratiã divinãque benedictione suã miseros rursus amplectatur.

Sed pergendum, & quomodo supinã hominum negligentia conceptus infeliciter ignis, Deo permittente, è specu suo in nervũ eruperit, exponendum: Nox erat, & satis jam profunda, quæ licet ob quietis amoenitatem ab aureo *Chrysostomi* ore rectè ὁ λιμὴν τῶν ἡμετέρων κακῶν καὶ τὸ παρεκκλίθειον τῶν ἡμετέρων συμφορῶν porcus malorum nostrorum, nostrarumque Calamitatum solacium, *Hom. II. Ep. ad Phil. vocat.*

cito

ctetur, nostræ cæmen Urbi, incendii hujus nomine, malorum ini-
tium fuerit appellanda. ||| Undecima jam ejus hora appetierat, quâ
succrescens tacitè ignis, qui perniciosissimò & publicis Legibus veti-
to errore, vicinorū haut implorato auxiliò, in herbâ, quodajunt, op-
primi perperâ intermissus fuerat, novâ pabuli accessione impetra-
ta, virib⁹ augebatur, & in liberum prorumpbat aërem, cumq; stabu-
lis à posticâ isthâc domuum parte, fœnum, stramen, ligna & alia
ineslet materia, quâ flamma alitur, simul coeptus ignis, & statim va-
lidus longitudinem domorum corripuit, & in latum quoque gras-
satus, aliquot domos simul accendisse visus est. Fatendum iis,
qui suum locorum oculis usurpare possunt suis, vix angulum aut
locum Urbis reperiri posse, qui commodior igni esse queat, multis
vicis domibusve unâ incendendis, hoc ipso, quocunq; enim respi-
cias, antrosum, retrorsum, à dextrâ & sinistra ædificia habet con-
tigua, angustis ita plateis aut viculis, ut flamma furorem suum lon-
ge lateq; spargere & indomita semel liberè exercere queat. Sic
ergo uno velut impetu aliquot corripuit domos, quarum cum ali-
quæ, præcipuè Domini Consulis *Baumgarteli*, ditissimâ supelle-
ctile fuerint refertissimæ, librariâ puta, frumentaria, vestiariâ &
quæ sternendis lectis lanuginosis plumis, pulvinis & stragulis apta,
tantò major gratò pabulò vis flammæ reddita, ut nulla ope restin-
gvi potuerit, quamquâ & hæc pluribus, & primò profundioreq;
somnia suscitatis, & vix vitam prædæ instar è medio incendio au-
ferentibus, aliis vehementi metu planè percussis, & insanis attoni-
tisq; similes discurrentibus, suo quoque peno salvando intentis,
rara aut nulla primò fuerit admota; Nec mirum quoq; *animos inter
dolorem & metum destitutos aberrâsse. Non enim est facile inter magna
non desipere, rectè & hic cum Senecâ philosophamur, VI. N. Qq. c. 29.*
Jam per latos vicos incedebat flamma, & in *Fori inferioris* (unter
Markt) dextro latere non tantum versus Portam grassabatur in-
feriorem, quam etiam cum adhærente *Illustrissimi Domini Comitis à
TETTENPACH &c.* domo jam involaverat, utrasque cum præ-
sentissimo oppositi vici, & consequenter *Michaëliani Templi, pe-
ricu-*

riculo absumpturus, nisi maturâ restrictione fuisset cohibitus; sed & ad forum ascendens *superius*, remedia velocitate mali antecit. Quamquam enim *SERENISSIMI* nostri publica Domus, quam *Marchio Serenissimus GEORGIUS ALBERTUS* nunc temporis incolebat, à parte anteriori murorum altitudine, & tecti, lapide Armenio strati, munimine, sinisteriorum ædium igne conflagrantium impetum sustinuerat, quòd tamen postica ejus pars, *Dn. Quæstori Auerbachio* inhabitata, cum utrisque Plateæ, à cædibus olim in illa commissis, die *Mordgass* appellatæ, lateribus, stabulis item fæno & stramine refertis, igne jam undique arderent, & contiguam *Cerevisariam Brunnerianam* flammæ contagiò infecissent, anterior quoque illa à summo corripere cepta est, tamque vasti operis flammâ incendium, tum fortius auctum, tum & in aduersas fori inferioris domos fuit sparsum, subinde tamen Dei gratia & sedulâ Civium curâ irrito conatu. Nec immunis à tanto malo vicus extitit *Monasterialis* (die *Klostergass*) ceteris nitidior; quòd enim anteriores ejus ædes aut in *Platam Cædium* una pertingant & perviæ utrinque sint, aut à tergo hujus viculi domibus cohæreant, inopinantibus habitatoribus velocissimus supervenit hostis, ut aliquot ædes *Oheimiana, Dörnhöferiana* & propinquæ ferè deflagrarint, antequam ignem possessores adesse senserunt, & hoc modo ab utroque latere splendidum *Pharmacopolii* angulare ædificium *Vulcanus* oppetebat, quem à parte *Fori inferioris* repulsam, quòd muri & tectum tegulaneum & intrepidus Possessoris animus fortiter defenderent, è vico *Monasterii* habuit infidentem, ubi ut proverbium habet, *res in extremâ regulâ versari* cepit. Incredibile dictu, quantam ignis vim unica hæc domus evomerit, in herbas cumprimis Medicas aridas, olea, ceram & alia medicamina, igni alendo nata, & superioribus in contignationibus asservata, incidens; præterea multis egregiis tabulatis ædificata, podium elegantissimis æstu disruptis, adeò latè fudit incendium, ut propinquæ *D. Michaëli* ædes, cum ipso Templo periculum & interitum vix crederentur effugituræ. Veritatem dictorum quis inde perceperit, dum æqualem, si non majorem distantiam

Turo

Turris Curia nostræ Urbicæ majoris, des grössern Rathhaus-Thurns
 cogitet, quæ nihilominus à summo ejus culmine, ignem primò
 candelæ instar concepit. Conclamabant omnes de integra urbe,
 si turre jam à summo imum versus ardente, connexum ipsius Curie
 tectum, unà cum splendido hoc inflammaretur ædificio; non ergo
 tantùm *Spectabilissimus*, cujus tunc res agebatur, *Senatus Urbicus* vigi-
 les maximè hic attulit curas, sed & *Illustrissimus* cum primis *Dominus*
Comes à RONOV &c. Dominus & Exarchus noster Provincialis Vigilan-
 tissimus, qui ut providus & sedulus gubernator omnibus eque in-
 terfuit periculis, si jubendo, ordinando, obtestando etiam, pro ut
 occasio ferebat, tanto malo medelam afferre posset, suam hic inter-
 posuit auctoritatem, & pervicit, ut non sine præsentissimo vitæ di-
 scrimine, architectus Urbis, adscitis sociis turrim conscenderet, &
 restingvendo partim ignem, partim ligna & trabes dejiciendo, me-
 tam vastationi poneret, cui auso benignissimum Numen, vel pre-
 cibus miserorum emollitum, suam ad eò benignè adspiravit grati-
 am, ut sisteretur tandem incendium, & curiâ extra periculum posi-
 tâ, reliqua quoque superioris civitatis pars salva & intacta asservire-
 tur. Fastigium nihilominus turris integrum, *vittam* vocant artifi-
 ces, cum binis Horologio superimpositis egregiis cymbalis, mallei
 pulsus excipientibus, ignis vi liquefactis, tres quoque tabulæ
 horarum indices, ablumta sunt, ipsâ ferrea Horologii Machinâ, non
 sine multa læsione, ægrè servatâ. A media nocte, ad medium usque
 diem tempus soli huic labori impensum, ut omnia à novi ignis me-
 tu abessent.

Interea qui hic vix ac ne vix quidem cohibitus, alibi eò insani-
 tis est debacchatus ignis; bihorium enim quin excesserit, dubito, quò
 integer *caesium vicus*, die *Wirdgass*/ contiguus à *canibus* cognomina-
 tus *angiportus* (die *Hundsgass*) cum *portâ minori molari*, dem *Mühl-
 thürlein*/ nec non quæ ad Gymnasium nostrum pertransitur, platea,
Judeis olim cultoribus nota, die *Judengass*; dimidius pariter integer
monasterii vicus, die *halbe Klostergass*/ plenis flammis ardere visi sunt;
 Quamquam enim, quod medius in malis singulare Dei beneficium
 erat.

erat, gravior ventus ignem haut sufflaret, sudā nempe maximē colli
tempestate, lentior tamen paulatim ab ortu spirabat, & ita Vulca-
num in Monasteriales Ædes & Gymnasium nostrum propellebat,
Horret animus & referre reformidat, quanto fragore & strepitu fu-
ribundus hic hostis versus nostra Musarum castra, rabidi instar ex-
ercitus, vi omnia prosternentis, triplicata acie (tribus enim domu-
um ad nos deferebatur ordinibus) impulsus fuerit, & tunc demum
vera intelligere coepi, quæ lecta olim, apud *Philippum Comminæum*, pru-
dentissimum Scriptorem, L. III. Hist. sublestæ fidei habebam suspe-
cta, asserentem: in incendio Leodiensis Urbis, per *Carolus Audacem*
Burgundiæ Ducem facto, *tantum extitisse clamorem & strepitum, ut*
sibi (erat enim hic *Comminæus* eqves in Exercitu *Caroli* fortissi-
mus) *planè viderentur esse in propinquo, licet eo die ad quatuor milliaria,*
(*Leucas* dubio procul intelligit *Gallicas*, quarum binæ milliari *Ger-*
manico communi æquantur) *confecerint.* Non ego hic verba in-
venerim, quibus dirissimam tantæ necessitatis faciem tamque fu-
nestam depingere queam stragem, nec à vero aberravero, si parva
liceat componere magnis, & laudati supra *Taciti* verba, de urbis *Ro-*
mæ incendio, paululum mutata & mutilata mea fecero, & hoc no-
strum, in similibus nempe, cum Romano incendio contulero: *Im-*
petu & apud nos *pervagatum* incendium, *plana* primum (*die Mordgass*)
deinde in ediza (*den fördern Markt und Klostersgass*) *asurgens, rursus*
inferiora populando, die Hund- & Juden- Gass) *anteit remedia velocitate*
mali. Quamquam enim non omnino tanta hominum fuerit apud
nos inertia, quanta illa *Nicomediensium*, de qua *Plinius* ad *Trajanum*
suum L. X. Ep. 42. conqueritur, *perstitisse* nempe in vastissimo *Ni-*
comediæ orto incendio, *ociosos & immobiles tanti mali spectatores, & alio-*
qui nullum usquam in publico siphonem, nullam hamam (instrumenta coher-
cendis incendiis fabrefacta, quibus hauritur ac redditur aqua, est e-
nim prius ex *Græco σιφων*, haustorium organon, per cuius calami
teretem rotunditatem & medium cavi aqua trahitur & redditur ad
extinguenda incendia, *eine Feuer-Sprizen*/ posterius *hama*, pariter
vas hauriendæ aquæ factum, unde *Colmella* de Horto: *aut habilem*
lym-

Lymphis hamulam, Bacchove lagenam, vid. plurib' eruditissimè de his vo-
cibus disferentem B, Thomasi, in Plinii Epistolas, dd. ll. p. 820. sqq.)
nullum denique instrumentum ad incendia compescenda; neque tamen hic
Curiana sedulitas multùm profecit. Illatus siquidem Vico Cadium
Sipho major, ut aqvas adversus incendium funderet, ipse incendiò
fuit sublatus, nec lignæ pariter & æneæ hamæ, quibus crateres &
putei publici cernuntur stipati, aut coriaceæ, quæ Curia Civilis,
ex prudenti Patrum ordinatione, est referta, suffecere, restringendo
tanto aqvâ incendio, quod vel ipsos accedentes erat hausturum &
oppresurum. Ergò & apud nos, ut Tacitum: lamenta paventium fe-
minarum, fessa aut rudis pueritiæ ætas, quique sibi, quique aliis consulebant;
quidam amisiss omnibus fortunis, diurni quoque victûs, effugèro. Id tanti ta-
men mali singulare levamen fuit, omnes nostros, profundò licet
somno sepultos, fuisse ereptos, neminemque per DEI gratiam, sive
igne circumventum, sive ruinâ domuû penitus oppresum, quam-
quam vulneratorum & læsorum hinc inde audita sint lamenta.
Romanæ Urbis incendio, sexto demum die, apud imas Esquvias finis factus;
(montem Romæ & vicum, à Tullio Hostilio Rege, urbi adjectum,
atque ut loco dignitas fieret, habitatum, Livius L. I. 44. ab excubiis au-
tem regiis ita dictum, hincque rectius Exquvilæ scribendum.) No-
stri tandem fervor represus, cùm ad illum collem perventum es-
set, quem Musis nostris sacratum & Apollineis celebrem excubiis
ad hæc voluit liberalissima Indulgentissimorum Principum ac NUTRI-
TIORUM Serenissimorum gratia, Gymnasi nempe nostri pomeria.
In eo enim jam erat, ut nobile hoc Palladium, hoste quatuor ex lateribus as-
sultante, urbi eriperetur, totidem enim domus ardentes, in nos, secundum
latitudinem, quod tantò pejus, incaluerant (quas inter virus suum eò evo-
mebat fortius, Abbatissarum olim, quò hospites accipiebant peregrinos, pu-
blicum diversorium, Nobili à Kann nunc possessum, quò reliquis minoribus est
eminentius, ut vix propinquæ tabernæ dejectione, infici ab eo nobis cavere-
mus) neque quicquam hic restringentium manus proficere poterant, partim
ardentissimâ flammâ detentæ, partim etiam aliorum, ad anteriora Civitatis
avocata; Solius ergò Dei imploratum auxilium, & recto jam undique futuri
ignis emittente nuncium, fumam scilicet, valvis itidem fenestrarum & fori-

)

bus

bus picem largiter sudantibus, verbò, cum última instarent omnia, *Zeus* *Διὸς*
μηχανῆς, seu benignissimum Numen è coelo apparuit, & teneræ pubis totq;
piorum suspiriorum memor, quæ procidentes hinc inde in genua non rari e-
mittebant, obtestantes ejus bonitatem, ut Scholæ, ut cum hac totius Civita-
tis, quæ isthac igne deperditâ, humanis oculis, ob ædium vastam amplitudi-
nem, salva esse haut poterat, parceret, ventum subitò vertit, & Zephyro-No-
tum Euri loco consurgere jusfit, quò flamma ab ædibus nostris & ipso Gy-
mnasio depulsa, nosq; *כְּאֵשׁ תְּרַחֵם* quasi terris, raptus ab incendio,
Amos IV. 11. servati. Sic ergò repressum divina ope incendium, quod hu-
manâ restingvi non poterat, ut appareret, quàm frivoli & impiè superstitioni
essent, qui Presbyteros illos, ab Aribone Episcopo Moguntino, in Synodo
Sælingstadiensi A. 1022. habitâ, publicè reprehensos, quod orto in urbibus in-
cendio, linteo ut vocant corporali, cujus usus in Missa est, in ignem coniecto, id extin-
guere conati sint, ut *Calvisius* ad d. A. recenset, imitati, & tum inscribendo san-
ctissimam Salvatoris vocè consummatum est, tum nescio quid in ignem con-
jiciendo, remedium ei allatum cupiebant, quos æqvè obnoxios crediderim
divinæ indignationi, ac illos, qui publica hac omnium miserîâ suæ malitiæ
exercendæ idoneam nacti occasionem, Diabolica furta & raptus licentiùs
exercebant. Temporis decursum, quò miseranda hæc desolatio urbi no-
stræ inducta, vix integræ tres dimensæ sunt horæ, à dimidiâ nempe duodeci-
mâ nocturna usque secundam aut tertiam matutinam, quâ omnes jam do-
mus flammis erant prostratæ, quamquam ardentes in ruderibus trabes & li-
gna benè multos per dies ignem conservaverint, & hoc ipso, quo hæc scri-
bo, die, qui duodecimus est ab infaustâ isthac nocte, sparsim etiam nū is repe-
riatur, ut non rarò metus fuerit, ne vehementior post incendium ventus no-
vum aliquod sufflaret, quod tamen clementia divini Numinis, civium in ex-
tirpandis funesti ignis reliquiis industria, & excubiæ hinc inde dispositæ & o-
mnia circumeuntes, averterunt. Domus, quæ conflagrarunt, numero cen-
sum sunt & due, cum turri Curie supra depictâ, quarum illæ, quæ in foro si-
tæ & vico Monasteriali, structuræ elegantîâ & situs in urbe commoditate,
optimis ejusdem vix cessere; Publicum tamen præter *Serenissimi Domum*,
(vulgò ab antiquo usu *diversorium Inferius*, der Untere Gasthoff appellatam &
Quæsturæ in parte tributam,) in his ædificium est nullum, cujus fata nimis
citò revoluta fuisse, dolendum est, quæ cum vix ante hos viginti aliquot an-
nos ex cineribus, multo labore & stupendis sumtibus eam suscitavit, in illas
remigrare subitò nunc jusserunt. *Cerevisiarias edes* cum urbe divisit Vul-
ganus, tres absumens & totidem relinquens superstites, quamquam & in illis

COM-

complura Zythopoiæ necessaria sint servata. *Potentaria* 9. desiderantur, & in magnâ *Pharmacopolii* jacturâ mœstam adhuc solatur urbem, *Officinam Pharmaceuticam* ægrorum curæ superesse.

Plura de insigni hac clade, quam optima Urbs *CURIA* passa, dicere haut attinet, nec lacrymæ refuscitandæ, quæ bene multorum ora & in posterum sponte suâ rigabunt, medela potius circumspicienda, quâ tot miseris subsidio iri, illorumq; depressæ hac calamitate mentes erigi rursus queant. Sed unde hoc melius, nisi à salutis & solatii fonte unico & optimo, Deo, quem ita largifluum in vota illorum expetimus & devotè precamur, ut suo tempore divina benedictione sibi videant restituta, quæ flamma edax ademit, hancque calamitatem perpetuam virtutis habeant disciplinam. Cumque Principes nullâ virtute aliâ Deo fiant propiores, quàm beneficentiâ in pauperes, cum manus illæ sint, quibus summus eorum Archetypus bona sua mortalibus in his terris impertitur, non dubium est, quin *SERENISSIMUS noster*, pro verè Principali sua clementiâ, miseros sit adjuturus, ut *Curia* sua, tanquam alter Phoenix, ex cinere tandem resurgere queat. *TIBERIO Cæsari* singulari apud *Tacitum* laudi tribuitur, quod cum ignis violentia Urbem ultra solisum adfecerit, populo pecunias ex modo detrimento tribuerit, *Annal. L. IV. c. 64.* cujus rei gratiâ acta ei grates apud Senatum ab illustribus, famaq; apud populum; Non minora Duci Heroi nostro à grato Senatu populoque, à fera etiam posteritate parata erunt encomia, qui alter *Cæsar* damnum hoc ad gloriam vertet, *L. VI. Annal. c. 45.* Quin & aliorum minorum exterorumve manus beneficas nostris & patentes exoptamus & ominamur, quales in simili calamitate, quam tamen Deus clementissimè ab omnibus avertat, constituti sibi optarent alias. Tu autem benignissime Deus, succurre ipse afflictis, & solare eos firmiter, tu vires surroga & facultates, quibus *CURIA* nostra in pristinum reduci queat florem, & pessima ejusmodi fata ignium, belli, pestis & famis clementissimè in posterum à nobis & omnibus bonis depelle! — — — *venit*

Hæc de funesto *CURIAE* incendio, in gratiam erige *Gymnasis* nostri hactenus civium, bona cum pace inde nunc dimittendorum præfari, terente hic occasione, libuit. Quamquam autem æquum omnino fuisset, orationes quoque illorum valedictorias respondere huic materiæ de tempore, quod tamen ante ingruens urbi infortunium jam fuerint elaborata, ad nova grati animi officia, quæ sola hic respicimus, non erant impellendi, aut ulterius morandi.

Inchoatam ergò olim de *Philosophia Theoretica & Practica* amicam disputationem absolvent, & cum pro *Philosophia Theoretica* jam sit pronunciatum, *primus*

Johann-

Johannes Adamus TREUSCHOLD, Curiensis pro Practica nunc sententiam
feret. Academiam huic petitorio magna patriæ desolatio comes e-
at, ut perpetuò oculis menti que obversetur ejus, quam justus & seve-
rus vitiorum sit censor Deus. Hinc bene agere, hinc pietati studii-
isque gnaviter insudare, hinc patriæ utilis fieri discat, quò in propo-
sito propitium ipsi Deum, & faventes bonos quosvis vovemus.

Secundus

Friedericus VVEISS, Naylá Variscus, amicissimi Domini Collegæ nostri Con-
-Re-
storis Germanus, Practicam cum Theoretica Philosophia conjungendam
esse suadebit. Quod suaserit faxit, & salutaribus Domini Fratris no-
strisve monitis praxin adhibeat, crudis suis diffidens Speculati-
onibus, quò pedum legat viam, & voti nostri candidissimi vim felici
studiorum usu consequatur. *Ultimus dicendi ordine*

Johannes VOELKELIUS, Pilgramsreuthensis, Stipendiatus Brandenburgicus,
duræ sortis, sed bonæ mentis alumnus, in grates Carmine Latino Heroi-
co, pro ea, quâ fructus hætenus gratia, abiturus. Quem divinæ bo-
norumve gratiæ ulterius committimus, ut cœpta virtutum, scientia-
rum & linguarum cum primis studia, quibus feliciter hætenus de-
currit, feliciter absolvat, & in patriæ usus felicissimè deferat.

Ut autem actui huic splendor suus constet, *Illustrissimi Exarchi Provincialis*
nostratis, Pre-Nobilissimi Domini Superintendentis ac Inspectoris, Nobilissimorum
Gymnasii Patroni Senatûs & Scholarcharum, & omnium illiusque Reip. Procerum &
literarum Favitorum gratiosissimam ac benevolam præsentiam ad VIII. pro-
ximi Mercurii diei horam, à matutinis precibus, exoramus ac devotè ambimus,
nostri obsequii & observantiæ reciproca factâ sensione, P.P. *Dominice*

Quasimodogeniti A. 1690.




ne

VD17








IN

meridie
A. cl
nec nisi post
intra M

Actu

in Illustr
lis h

M. JO



30
M
S
UM,

II. Aprilis,
Xorum,
am ferè Urbis
lem som-

o-Va-

30. Apri-
isum,
YRIZ,

